

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXV - N. 1

1993

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1993

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

Litterae apostolicae motu proprio datae: Pontificia Commissio «pro Russia» in Commissionem Interdicasterialem stabilem pro Ecclesia in Europa Orientali immutatur	3
Litterae apostolicae motu proprio datae: Pontificium Consilium de Cultura et Pontificium Consilium pro dialogo cum non credentibus in unum rediguntur	5

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Romanae Rotae Iudices coram admissos	8
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui conventui internationali iuris canonici interfuerunt	12
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Australiae visitationis «Ad Limina» occasione oblata	18
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemprionalis visitationis «Ad Limina» occasione oblata	21
Ex allocutione Summi Pontificis ad eos qui conventui internationali de themate <i>Pastores dabo vobis</i> interfuerunt	23
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemprionalis visitationis «Ad Limina» occasione oblata	24
Epistula Summi Pontificis ad episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemprionalis missa	28

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi quo nova «Peregrinationi ad Petri Sedem» ordinatio datur	30
--	----

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Notificatio de validitate baptismatis	34
---	----

ACTA CONSILII

Symposium internationale Iuris Canonici	35
Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	46

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis» (Sessio XIV)	49
II. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis» (Sessio XV)	76
III. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis» (Sessio XVI)	122
Opera a Consilii Bibliotheca Recepta	156
Notitiae	158

III
COETUS STUDII
« DE SACRA HIERARCHIA »

Sessio XVI
(dd. 15-19 decembris 1975 habita)

Diebus 15-19 decembris 1975, in aula huius Pontificiae Commissionis, Consultores convenerunt Coetus studii « De Sacra Hierarchia », sub moderamine Exc.mi Castillo Lara, Commissionis Secretarii, atque Rev.mi Onclin, Secretarii adiuncti, qui munere Relatoris functus est.

Conventibus interfuerunt Exc.mi quinque et Rev.mi quattuor Consultores atque Rev.dus Herranz, qui actuarii munere functus est.

Adunationibus non interfuerunt, quia legitime impediti, Exc.mi duo atque Rev.mus unus Consultores.

In initio laboris Exc.mus Secretarius, qui prima vice sessionibus collegialibus studii huius Coetus interest, salutem omnibus dicit eisque gratias refert ob eorum sollertem cooperationem in perficienda opera nostrae Commissioni a Supremo Legislatore commissa. Deinde rogat Rev.mum Secretarium Ad. ut quaestiones exponat de quibus hac in XVI^a sessione agendum est, iuxta Litteras convocationis die 17 octobris c.a. datas.

Quaestiones perpendendae sunt sequentes, quae successive pertractantur:

I. DE CONSILIO PRESBYTERALI ET
DE COLLEGIO CONSULTORUM


Priusquam incipiat ultima revisio horum canonum, Rev.mus Relator proponit et accipitur ut titulus ita compleatur: « De Consilio Presbyterali deque Collegio Consultorum », quia re vera de his duobus institutis simul agitur in schemate.

Examine postea subiiciuntur singuli canones.

Can. 1

Textus est sequens:

§ 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, presbyterium re-



praesentans, cuius est Episcopo in regimine universae dioecesis consiliis adiuvere, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilio presbyterali praeest Episcopus dioecesanus, quippe qui presbyterii sit caput.

Rev.mus primus Consultor proponit ut addatur § 3, in qua sequentia plus minusve dicantur: «Unus Episcopus dioecesanus, sua quidem personali auctoritate, promulgare vel evulgare potest quae acta sunt in Consilio presbyterali». Ratio est quia Consilium presbyterale est organum consultivum Episcopi, quod proprio Marte edere nequit documenta vel declarationes, etc. Hoc tamen nunc fit in quibusdam Nationibus, non sine detrimento auctoritatis Episcoporum atque fidelium confusione.

Haec propositio ceteris placet Consultoribus, qui praeterea animadvertunt Consilium presbyterale numquam existere sine Episcopo (Exc.mus secundus et alii Consultores). Magis tamen placet, suggerente Rev.mo Secretario Ad. ut proposita additio fiat in can. 6, sequentibus verbis:

«§ 3. Consilium presbyterale numquam agere valet sine Episcopo dioecesano, cuius solius est probare necnon divulgare ea quae sunt admissa».

Exc.mus Secretarius censet loco «probare» aptius dicendum forsitan esse «rata habere» vel «recipere».

Ad mentem Exc.mi tertii Consultoris in ipso can.6 servanda est norma iuxta quam in casibus exceptionalibus Consilium presbyterale voto deliberativo gaudere potest. Haec est possibilitas quae huic Consilio tribuitur per Litteras Circulares S.Congregationis pro Clericis, die 10 aprilis 1970 datas. Attamen oportet quoque ut dicatur Episcopum libere posse, peculiaribus quidem in adiunctis, Consilium presbyterale dissolvere et aliud constituere.

Rev.mus quartus Consultor memorat normas conciliares (Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n.7) et normas a Summo Pontifice datas ad Decreta Concilii applicanda (M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 15) votum tantum consultivum tribuere Consilio presbyterali. Mens quidem Concilii non fuit ut Consilium presbyterale habeatur tanquam «parlamentum» quoddam, neque membra Consilii presbyteralis haberi possunt uti «repraesentantes» sensu quidem iuridico ceterorum Presbyterorum dioecesis.

Haec tamen aliaeque quaestiones perpendedae sunt cum textus can.6 examini subiicietur. Quapropter reductus fit ad textum can.1.

Formula huius canonis placet uti iacet, cum duabus tantum animadversionibus: 1) in § 1, lin.3, latinitatis causa, dicendum est «cuius est Epi-

scopum»; 2) in § 2 oportet ut ita compleatur textus: « Consilium presbyterale *constat solis sacerdotibus* eique praeest Episcopus dioecesanus ». Membra enim huius Consilii, quod in regimine dioecesis Episcopum adiuvat, sacerdotio ministeriali insignita esse debent, ideoque excluduntur diaconi. E contra sub voce « sacerdotibus » venire quidem possunt non tantum presbyteri, sed etiam episcopi, ex.gr. Episcopus auxiliaris qui sit Vicarius Generalis vel Vicarius episcopalis.

Textus ergo can.1 ita definitive manet approbatus:

« § 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, presbyterium repraesentans, cuius est Episcopum in regimine universae dioecesis consiliis adiuvare, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilium presbyterale constat solis sacerdotibus eique praeest Episcopus dioecesanus ».

Can. 2

Ita sonat textus:

« Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo probata, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis ».

Textus placet uti iacet, cum sola additione verbi « dioecesano » post verbum « Episcopo » (lin. 1), claritatis causa.

Can. 3

Hic est textus:

« Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1) Maior eorum pars libere eligantur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;

2) aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse possunt, aut, si ita ordinaverit Episcoporum Conferentia, esse debent membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent;

3) Episcopo dioecesano integrum est aliquos libere nominare ».

Suggerit Rev.mus primus Consultor ut quae dicuntur sub n. 3 ponantur in fine n. 1, qui ita sonaret: « Maior eorum pars libere eligantur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum; semper autem aliqui libere nominentur ab Episcopo dioecesano ». Ita enim non tantum enuntiatur ius sed officium Episcopi statuitur semper persona-

liter seligendi ac libere nominandi aliquos sacerdotes sui Presbyterii uti membra Consilii presbyteralis.

Rev.mus quintus Consultor dicendum esse censet dimidiam partem eligi debere ab ipsis presbyteris, aliam vero dimidiam partem libere nominari ab Episcopo dioecesano.

Exc.mus tertius Consultor praeferit ut norma totius can.3 maneat sicuti est, quia sufficientem praebet flexibilitatem; praeterea meminisse oportet statuta Consilii, in quibus determinationes magis particulares ponendae sunt, probanda semper esse ab ipso Episcopo dioecesano.

Em.mus Praeses dubitat utrum oporteat servare verba n.1 «Maior eorum pars», etsi in Litteris S. Congregationis pro Clericis haec inveniatur norma. Re vera hoc non dicitur in Decr. *Presbyterorum Ordinis*, dum in M.P. *Ecclesiae Sanctae* norma prudentior posita fuit, nempe «normis ac formis ab Episcopo determinandis».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut loco «maior pars» dicatur «pars notabilis» vel alia expressio huius tenoris; determinatio magis particularis in statutis fiat.

Exc.mus septimus Consultor suggerit ut dicatur «congrua pars», quod, suffragatione facta, omnibus placet.

Quoad n. 2, proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut membra nata, nempe ratione officii, non tantum possint sed esse debeant membra Consilii presbyteralis. Praeterea — uti Exc.mus secundus et Rev.mus primus Consultores notant — non videtur ratio qua haec determinatio fieri debeat modo uniformi a Conferentia Episcopali et non ab ipso Episcopo dioecesano; adiuncta enim singularum dioecesium ipsius provinciae vel regionis ecclesiasticae saepe sunt diversa, atque iam in can. 2 dicitur statuta conficienda esse attentis normis ab Episcoporum Conferentiis prolatis.

Notat denique Exc.mus Secretarius haec membra Consilii esse membra nata quia officium peculiaris momenti in dioecesi ab Episcopo dioecesano receperunt, ideoque agitur de benemeritis sacerdotibus qui aestimatione certissime gaudent apud Episcopum dioecesis.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit pro n. 2 sequentem formulam, quae unanimiter approbatur:

«Aliqui sacerdotes, ad normam statutorum esse debent membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent».

Textus ergo can.3 ita definitive manet probatus:

«Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° congrua eorum pars libere eligatur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;

2° aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse debent membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent;

3° Episcopo dioecesano integrum est aliquos libere nominare ».

Can. 4

Ita sonat textus:

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum exercere valent:

1° omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent, aut in eiusdem bonum officium aliquod ecclesiasticum adimplent;

2° sacerdotes saeculares in dioecesi non incardinati, necnon religiosi, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent et ibidem officium aliquod ecclesiasticum in foro externo exercent.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent, aut officium aliquod quod in bonum dioecesis exercent ».

Rev.mus quartus Consultor mavult ut, in § 1, lin.2, dicatur «habere» loco «exercere valent», quod omnibus placet.

Censet Exc.mus octavus Consultor, in n.1, dicendum melius esse «in eadem *residentiam* (loco «domicilium aut quasi-domicilium) habent», saltem pro iis qui voce passiva gaudent, ita ut ipsi facilius possint coadunari in Consilio.

Alii tamen Consultores animadvertunt quod ii sacerdotes in dioecesi incardinati, qui sunt in longinquo loco, de facto ad Consilium presbyterale non eliguntur; sub respectu tamen iuridico ad presbyterium dioecesis praepriis pertinent in qua incardinati sunt et manent.

Ad mentem Exc.mi tertii et Rev.mi quarti Consultorum sufficeret forsan dicere «in dioecesi incardinati», attenta natura et valore incardinationis. Magis tamen placet, iuxta ea quae statuuntur in Decr. «Christus Dominus», n. 28, ut textus huius n.1 maneat uti iacet.

Claritatis autem causa duae fiunt emendationes: 1) «... qui insimul *aut* in eadem domicilium *vel* quasi-domicilium habent, aut...» (Rev.mus quintus Consultor); 2) in lin. 3 deletur verbum «ecclesiasticum», quia non necessarium (Exc.mus septimus Consultor).

Ad n. 2, placet ut loco «religiosi» dicatur «sacerdotes sodales alicuius Instituti vitae consecratae» (Rev.mus Secretarius Ad.), et in lin. 3 deletur

verbum «ecclesiasticum», ut uniformitas servetur terminologica et dicitur «in bonum dioecesis» (Exc.mus septimus Consultor).

Nulla fit animadversio ad § 2, ideoque textus huius canonis 4 ita manet definitive probatus:

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1° omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul aut in eadem domicilium vel quasi-domicilium habent, aut in bonum dioecesis officium aliquod adimplent;

2° sacerdotes saeculares in dioecesi non incardinati, necnon sacerdotes sodales alicuius Instituti vitae consecratae, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent et ibidem officium aliquod in bonum dioecesis exercent.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent, aut officium aliquod in bonum dioecesis exercent.

Can. 5

Hic est textus:

Modus eligendi membra Consilii presbyteralis a statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita aetatis maxime autem diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum.

Exc.mus septimus et alii Consultores exoptant ut textus simplicior fiat, et placet ut dicatur tantum, in lin. 2-3, «ratione habita maxime diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum», dempta ergo ratione aetatis.

Canon ergo definitive probatus ita sonat:

«Modus eligendi membra Consilii presbyteralis a statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita maxime diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum».

Can. 6

Textus hic est:

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo nisi ius universale aliter providerit aut Episcopus dioecesanus, in casibus exceptionalibus ab

Episcoporum Conferentia definitis, votum deliberativum concedendum censuerit.

§ 2. Audiendum est in causis quae iure universali statutae sunt, quae iudicio Episcopi regimen generale dioecesis respiciunt.

Praeter animadversiones quae iam factae sunt perdurante disceptatione circa canonem 1, adhuc quaedam prolantur observationes, nempe: necessitas ut praeveniatur periculum ex parte quorundam Episcoporum transferendi propriam ac personalem responsabilitatem in regimine dioecesis ad decisiones valorem deliberativum habentes quae Consilio presbyterali ab ipsis Episcopis tribuantur (Exc.mus octavus Consultor); necessitas quoque ut hic modus agendi, qui in praxim dioecesis transeat, nocumentum ne afferat libertati et auctoritati sive aliorum Episcoporum qui dioeceses viciniores regant sive successorum in supradictis sedibus episcopalibus (Exc.mus tertius et Rev.mus primus Consultores).

Omnibus his prae oculis habitis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem formulam emendatam proponit:

«§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo tantum: audiendum vero est in causis quae iure universali expresse determinantur aut quae, iudicio ipsius Episcopi dioecesanis, regimen generale dioecesis respiciunt: unius autem Episcopi dioecesanis est causas dirimere et decisiones ferre.

§ 2. In causis tamen, in quibus Consilio presbyterali votum deliberativum concesserit sive ius universale sive, in casibus exceptionalibus ab Episcoporum Conferentia definitis, ipse Episcopus dioecesanus, idem Episcopus ut decisiones ferat consensu eget eiusdem Consilii.

§ 3. Consilium presbyterale nusquam agere valet sine Episcopo dioecetano, cuius etiam solius cura divulgari possunt quae ad normam §§ 1 aut 2 statuta sunt».

Facta suffragatione haec formula omnibus placet.

Rev.mus quartus Consultor animadvertit exoptare ut in § 2 mentio non fiat de «voto deliberativo», sive quia hoc contrarium videtur normis Concilii (cfr. *Decr. Presbyterorum Ordinis*, n. 7, atque *M.P. Ecclesiae Sanctae*, n. I, 15), sive quia sufficeret ut adhibeatur expressio «consensu egere», uti habetur in CIC relate ad casus, revera paucos, in quibus Episcopus ut legitime agat consensu egit Capituli cathedralis, eius senatus.

Aliis tamen Consultoribus necessarium non videtur ut proposita emendatio introducatur in § 2.

Can. 7

Sic sonat textus:

« § 1. Secundum statuta Consilium presbyterale constituatur ad tempus, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale permanet, sed intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere, quo constituto prius a munere cessat ».

Ponitur imprimis a Rev.mis Secretario Ad. et sexto Consultore quaestio de possibilitate ut habeantur in ipsa dioecesi pluria Consilia presbyteralia, ratione linguae vel variarum regionum, etc. Magis tamen placet ut in canone maneat norma generalis de uno Consilio pro unaquaque dioecesi, ita ut aptius servetur unitas dioecesis. Si sint casus particulares providendum videtur per normas iuris particularis a Conferentiis Episcopalibus datas cum approbatione Sanctae Sedis (ita Exc.mi nonus et tertius ac Rev.mi quartus, quintus et alii Consultores).

Lex generalis respicit tantum ea quae generalia sunt — ait Exc.mus Secretarius, ideoque in Codice nihil de casibus exceptionalibus dicendum videtur, uti essent pluria Consilia vel plures sectiones unius Consilii presbyteralis in unica Ecclesia particulari. Propositio haec suffragatur, et omnibus placet, excepto Exc.mo secundo Consultore, qui se abstinere a suffragatione.

Placet quoque, fortiori ratione, ut nihil dicatur de sic dictis « confoederationibus Consiliorum vel senatum presbyteralium », quae in quibusdam nationibus arbitrarie constitutae sunt ab ipsis presbyteris.

Quoad § 1 canonis, Exc.mus nonus Consultor proponit et accipitur ut textus ita emendetur: « Consilium presbyterale constituatur ad tempus in statutis determinandum... ».

Ad § 2 quaerit Exc.mus Secretarius quare Consilium presbyterale permaneat vacante sede episcopali. Melius esset — ait Exc.mus tertius, cui accedunt Exc.mus octavus alique Consultores — ut sede vacante Consilium cesset, ad normam M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 16.

Rev.mus Secretarius Ad. duas formulas alternativas proponit:

a) Vacante sede Consilium presbyterale cessat, eiusque munera implentur a Collegio consultorum de quo in can.11; intra sex menses...

b) Vacante sede Consilium presbyterale permanet, ita tamen ut vocari tantum possit ab illo qui ad interim dioecesim regit non autem petente tertia parte Consilii; intra sex menses...

Fiunt suffragationes quarum exitus est:

Placet formula A: 6.

Placet formula B: 3.

Se abinent a suffragio ferendo: 2.

Fit adhuc parva discussio, in qua magis favetur sententiae — uti notat Exc.mus septimus Consultor — in favorem cessationis Consilii presbyteralis ipso facto vacationis sedis: agitur enim de Episcopi consilio ideoque eo deficiente munus suum desinat. Qui dioecesim regit ad interim potest quidem, si vult, consulere presbyteros sed prudentius est ut agatur de consultationibus ad singulos factis. Ita etiam servatur norma M.P. *Ecclesiae Sanctae*.

Omnibus placet ut ita emendetur textis. Simul tamen probatur — proponente Rev.mo quarto, cui alii accedunt Consultores — ut ipsa sede vacante vel impedita maneat Collegium consultorum quia Consilium presbyterale et Collegium consultorum sunt entia diversa etsi Collegium consultorum maxima ex parte explet functiones quae ad Consilium presbyterale pertinent.

Exc.mus tertius Consultor postulat ut possibilitas praevideatur dissolvendi Consilium presbyterale si ipsum non amplius adimpleat suas functiones in adiutorium Episcopi, vel eas exerceat in detrimentum vinculi communionis hierarchicae in dioecesi.

Huic propositioni et alii accedunt Consultores quia huiusmodi adiuncta dari possunt et de facto dantur; praeterea regimen dioecesis atque in eadem ecclesiastica communio res sunt quae ad responsabilitatem personalem Episcopi pertinent, uti animadvertunt Rev.mi quartus et primus Consultores.

Placet ergo ut haec norma ponatur uti § 3 huius canonis. Ad vitandum tamen usum arbitrium huius facultatis placet quoque ut: 1) Episcopus decisionem capiat audito Collegio consultorum; 2) rationem huiusmodi decisionis reddere debeat Sanctae Sedi; 3) novum Consilium presbyterale intra annum constituere debeat.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit qui ab omnibus recipitur:

« § 3. Si Consilium presbyterale munus sibi in bonum dioecesis commissum non amplius adimpleat aut eodem graviter abutatur, Episcopus dioecesanus, audito quidem Collegio consultorum de quo in can. 8, illud dissolvere potest, sed intra annum debet illud noviter constituere ».

Canon ergo ita manet definitive probatus:

« § 1. Consilium presbyterale constituatur ad tempus, in statutis determinandum, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale cessat eiusque munera implentur a Collegio Consultorum de quo in can. 8; intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere.

§ 3. Si Consilium presbyterale munus sibi in bonum dioecesis commissum non amplius adimpleat aut eodem graviter abutatur, Episcopus dioecesanus, audito quidem Collegio Consultorum de quo in can. 8, illud dissolvere potest, sed intra annum debet illud noviter constituere ».

Can. 8

Sic sonat textus:

« Qui electus non amplius implet condiciones in can. 4 praevisas cessat a munere eiusque locum tenet qui vices eius supplet, secundum statutorum praescripta ».

Proponente Exc.mo Secretario, omnibus placet ut hic canon deleatur, quia haec norma aptius determinari potest in statutis.

Can. 9

Hic est textus:

« § 1. Consilium presbyterale ab Episcopo convocetur saltem bis singulis annis.

§ 2. Praeterea convocetur si peculiaria dioecesis adiuncta id suadeant, sive de iudicio Episcopi sive de iudicio partis membrorum, non minoris quidem unius tertiae partis, a statutis determinatae ».

Proponentibus Exc.mo septimo et Rev.mo primo Consultoribus, placet quoque ut ex lege universali haec norma expungatur: determinationes enim particulares ponendae sunt in statutis, quae — uti notat Exc.mus Secretarius — facilius mutare possunt iuxta temporum et locorum adiuncta, quibus aptandae sunt.

Can. 10

Sic sonat textus:

« Consilium presbyterale in tractandis causis quae ad regimen spectant operum pastoralium rationem habeat eorum quae Consilium pastorale de operibus pastoralibus perpenderit atque proposuerit ».

Placet omnibus ut etiam hic textus deleatur. Agitur enim de re nimis particulari, quae praeterea favere posset ut pressiones a Consilio pastoralis fiant in Consilium presbyterali.

Can. 11 (nunc can. 8)

Hic est textus:

«§ 1. Inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano eligantur aliqui sacerdotes, qui Collegium consultorum constituent, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Consilium presbyterale non constans plus quam septem membris implet munera quae iure Collegio consultorum competunt.

§ 3. Collegio consultorum praeest Episcopus dioecesanus; sede autem impedita aut vacante, is qui ad interim Episcopi locum tenet aut, si constitutus nondum fuerit, in Collegio consultorum sacerdos ordinatione antiquior».

Rev.mus quartus Consultor proponit, et omnibus placet, ut in § 1, loco «eligantur» dicatur «libere nominantur», utque constitutio Collegii consultorum sit «ad quinquennium», etiam quia — uti notat Exc.mus Secretarius — duratio Collegii consultorum pendere non debet a duratione Consilii presbyterali.

In eadem § 1 censet Exc.mus secundus Consultor determinandum esse numerum consultorum, quod omnibus placet.

Formula quae probatur est sequens: «aliqui sacerdotes numero non maiore quam duodecim, non minori quam sex, qui...».

Exc.mus septimus proponit, et accipitur, ut § 2 deleatur, quia vitanda est identificatio Consilium presbyterale inter et Collegium consultorum.

Nulla fit animadversio ad 3 § (nunc § 2), quae manet uti iacet.

Textus ergo can. 11, qui nunc est can. 8, ita definitive approbatur:

«§ 1. Inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano libere nominantur aliqui sacerdotes numero non minori quam sex non maiori quam duodecim, qui Collegium consultorum ad quinquennium constituent, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Collegio consultorum praeest Episcopus dioecesanus; sede autem impedita aut vacante, is qui ad interim Episcopi locum tenet aut, si constitutus nondum fuerit, in Collegio consultorum sacerdos ordinatione antiquior».

II. DE CANONICORUM CAPITULIS

In recognitione horum canonum prae oculis habentur Litterae S. Congregationis de Clericis, quae nostrae Commissioni missae sunt die 13 februarii 1973.

Sic sonat textus:

Can. 1

«Capitulum canonicorum, sive cathedrale sive collegiale, est clericorum collegium, cuius est functiones liturgicas sollemniores in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere; Capituli cathedralis praeterea est munera adimplere, quae ipsi ab ipso iure aut ab Episcopo dioecesano committuntur».

Suggerit Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur «*sacerdotum* collegium», loco «clericorum collegium», quod placet, etiam quia, praeter functiones liturgicas, capitulum munera exercere valet in regimine, et ideo constare non debet diaconis.

Textus sic emendatus placet.

Can. 2

Hic est textus:

«§ 1. Capitulum canonicorum cathedrale ubi exstet servetur, immo vel erigatur in dioecesibus, in quibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, id expediat.

§ 2. Capituli tum cathedralis, tum collegialis, erectio, innovatio aut suppressio pertinet ad Episcopum dioecesanum, attentis normis ab Episcoporum Conferentia regionis legitime statutis».

Quoad § 1, Exc.mus Secretarius mavult ut loco «immo vel» dicatur «et», ne commendatio fieri videatur. Proponentibus tamen Exc.mo nono et Rev.mo sexto Consultoribus, magis placet ut expungantur verba «de iudicio Conferentiae Episcoporum».

Approbatur canon cum hac emendatione.

Can. 3

Hic est textus, qui placet uti propositus est:

«Unumquodque Capitulum, sive cathedrale sive collegiale, sua habeat statuta, per legitimum actum capitularem condita atque ab Episcopo dioecesano probata; quae statuta ne mutantur aut abrogentur, nisi approbante eodem Episcopo dioecesano».

Can. 4

Approbatur textus propositus, qui sic sonat:

«§ 1. Statutorum Capituli, salvis semper foundationis legibus, est ipsam

Capituli constitutionem et numerum canonicorum determinare; definire quaenam a Capitulo et a singulis canonicis ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum sint peragenda; ordinare conventus in quibus Capituli negotia aguntur atque, salvis quidem iuris communis praescriptis, condiciones statuere ad validitatem liceitatemque negotiorum requisitas.

§ 2. In statutis etiam definiantur quaenam sint canonicorum insignia atque emolumenta, tum stabilia tum occasione perfuncti muneris solvenda.

Can. 5

Placet textus propositus, qui hic est:

« § 1. Inter canonicos habeatur qui Capitulo praesit, atque alia etiam constituentur officia ad normam statutorum, ratione quoque habita traditionis in regione vigentis.

§ 2. Clericis qui non sunt canonici, qui quidem ad Capitulum non pertinent, committi possunt alia officia, quibus, ad normam statutorum, canonicis auxilium praebeant ».

Can. 6

Hic est textus propositus:

« Paenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis ».

Rev.mus Secretarius Ad. duas proponit animadversiones, quae approbantur, nempe: loco « potestatem » dicendum est « facultatem », et loco « etiam a peccatis et a censuris » dicatur « a peccatis necnon a censuris ».

Notat Rev.mus primus Consultor, cui accedit Exc.mus Secretarius, redactionem huius canonis pendere a textu definitivo schematis de iure poenali. Quoad hoc omnes concordant, ergo redactio actualis est provisoria.

Can. 7

Sic sonat textus propositus:

« § 1. Episcopi dioecesani, audito Capitulo, non autem Administratoris dioecesani nec Vicarii generalis aut episcopalis, est omnes et singulos conferre canonicatus, tum in ecclesia cathedrali tum in ecclesia collegiali, revo-

cato quolibet contrario privilegio; eiusdem Episcopi est confirmare electum ab ipso Capitulo, qui eidem praesit.

§ 2. Canonicatus Episcopus dioecesanus conferat sacerdotibus doctrinae vitaeque integritate praestantibus; qui laudabiliter ministerium pastorale exercuerunt ».

Exc.mus nonus Consultor postulat ut in § 2 dicatur: « conferat *tantum* sacerdotibus ». Placet emendatio, et approbatur textus cum hac emendatione.

Can. 8

Textus propositus est:

« § 1. Capitulo canonicorum ne amplius pleno iure uniantur paroeciae; quae unitae alicui Capitulo exstent, ab Episcopo dioecesano a Capitulo separentur.

§ 2. In ecclesia, quae simul sit paroecialis et capitularis, instituatur parochus, sive inter capitulares electus sive non; qui parochus omnibus gaudet officiis, iuribus et facultatibus quibus ad normam iuris pollent parochi (*Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21 § 2).

§ 3. Episcopi dioecesani est certas statuere normas, quibus officia pastoralia parochi atque munera Capitulo propria debite componantur, quibusque prospiciatur ne parochus capitularibus nec Capitulum paroecialibus functionibus impedimento sit; conflictus, si quidam habeantur, dirimat Episcopus dioecesanus, qui imprimis curet ut fidelium necessitatibus pastoralibus debite prospiciatur.

§ 4. Quae ecclesiae, insimul paroeciali et capitulari, conferantur elemosynae, praesumuntur datae paroeciae, nisi aliud constet.

Rev.mus Secretarius Ad. suggerit, et placet, ut in § 1 deleantur verba « pleno iure ».

Quoad § 2, proponente Rev.mo Secretario Ad., dicitur « delectus », loco « electus ». Modificatur quoque pars altera huius §, ad mentem Exc.mi Secretarii hoc modo: « ... omnibus *obstringitur* officiis *atque gaudet* iuribus et facultatibus *quae* ad normam iuris *propria sunt* parochi ». Approbatur canon ita emendatus.

Can. 9

Approbatur textus propositus, qui ita sonat:

« § 1. Episcoporum Conferentiae regionis est iudicare de opportunitate instituendi in dioecesibus territorii canonicos ad honorem; qui, si haberi

possint, Episcopi dioecesani, non autem Administratoris Apostolici aut dioecesani vel Vicarii generalis aut episcopalis est, audito quidem Capitulo, eosdem, sive dioecesanos sive extradioecesanos, nominare, numero autem tantum in statutis Capituli definito.

§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem ut nominet Episcopus dioecesanus, praeterquam ipsius Capituli, assensu eget Episcopi, cuius nominandus est subditus; quo assensu deficiente, nominatio est irrita».

III. DE CONSILIO PASTORALI

Can. 1

Hic est textus propositus, qui approbatur:

«In singulis dioecesibus, quatenus pastoralis sollicitudo id suadeat, constituatur Consilium pastorale cuius est sub auctoritate Episcopi ea omnia quae opera pastoralia spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere».

Can. 2

Sic sonat textus propositus:

«§ 1. Consilium pastorale constat personis quae in plena communione sint cum Ecclesia Catholica, repraesentantes tum clericos, tum religiosos, tum laicos, quaeque designantur modo ab Episcopo dioecesano determinato, secundum normas a Conferentia Episcoporum statutas.

§ 2. Maior pars membrorum sint christifideles laici.

§ 3. Personae quae deputantur ad Consilium pastorale ita seligantur ut universa populi Dei portio quae dioecesim constituat revera repraesentetur, ratione habita diversarum dioecesis regionum, condicionum socialium et professionum, necnon partis quam sive singuli sive cum aliis coniuncti in apostolatu habent, praesertim vero attenta praestantia et prudentia quibus gaudent».

Quoad §§ 1 et 3, Rev.mi primus et quartus Consultores obiectionem movent quoad verbum «repraesentantes» et «repraesentetur», quae intelligi possunt ac si membra Consilii ab aliis christifidelibus deputentur, quos repraesentent. Assentiunt alii Consultores.

Suggestit Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur in § 1: «... constat *christifidelibus* qui in plena communione sint cum Ecclesia Catholica, tum clericis,

turn *membris Institutorum vitae consecratae*, tum laicis, quique designantur... ». Placet hic textus.

Placet quoque ut, iuxta petitionem Exc.mi noni, Rev.mi quinti et aliorum Consultorum, in fine § 1 expungantur verba «secundum normas a Conferentia Episcoporum statutas», ne Episcopi vinculentur, quia agitur de instituto facultativo, non praeceptivo quale est Consilium Presbyterale.

Attenta animadversione de repraesentatione, placet ut in § 3 dicatur: «configuretur», loco «repraesentetur».

Postulat Exc.mus Secretarius ut aliquid dicatur de bona fama qua gaudeant oportet Consilii pastoralis membra. Placet ergo ut expungantur verba «praesertim vero... gaudent» in fine § 3, et nova addatur § 4, sub hoc textu: «Ad Consilium pastorale ne deputentur nisi christifideles certa fide, bonis moribus et prudentia praestantes».

Textus ergo canonis approbatur cum supradictis emendationibus.

Can. 3

Hic textus proponitur:

«§ 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus, iuxta praescripta statutorum, quae ab Episcopo dantur attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur.

Placet, cum hac emendatione proposita a Rev.mo Onclin: in fine § 1 dicatur «attentis *principiis* ab Episcoporum Conferentia *admissis*».

Can. 4

Hic textus propositus est:

«§ 1. Consilium pastorale, iuxta necessitates apostolatus, convocare eique praeesse ad solum Episcopum pertinet.

§ 2. Saltem semel in anno convocetur».

Postulantibus Exc.mis Secretario et tertio Consultore, placet ut addatur, iuxta normam M.P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 16 § 2: «Consilium pastorale, *quod voto gaudet tantum consultivo*, iuxta...»

Placet quoque ut dicatur «Episcopum *dioecesanum*».

Textus approbatur cum supradictis emendationibus.

IV. DE ROMANI PONTIFICIS LEGATIS

Can. 1

Hic est textus propositus:

« Romano Pontifici ius est nativum et independens ad societates politicas civiliaque gubernia atque ad Ecclesias in certa Natione aut ditione ecclesiastica sitas Legatos suos mittendi, sicut et eos nominandi, transferendi et revocandi, servatis quidem normis iuris internationalis, quod attinet ad missionem et revocationem Legatorum apud societates politicas constitutorum (cfr. M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, III, 1) ».

Rev.mus quartus Consultor praeoptat ut expungantur verba « ad societates politicas », et dicatur solummodo « ad civilia gubernia ».

Notat tamen Rev.mus primus Consultor societates politicas adesse, quae non sunt civilia gubernia.

Exc.mus septimus Consultor adiungit Legatos per se mitti ad caput Status, nempe ad Regem vel Reipublicae Praesidem.

Exc.mo Secretario magis placet expressio « apud Respublicas », quae adhibetur in M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*.

Nulla tamen fit mutatio, quia maioritati placet ut maneant verba « ad societates politicas civiliaque gubernia ».

Textus approbatur, cum hac additione ab Exc.mo septimo Consultore proposita: « ... revocationem Legatorum *de quibus supra* apud societates... ».

Can. 2

Textus qui proponitur sic sonat:

« § 1. Nomine Legatorum Romani Pontificis, in canonibus qui sequuntur, appellantur viri ecclesiastici, plerumque Episcopali Ordine insignes, quibus Romanus Pontifex officium committit suam stabili modo gerendi personam, in variis terrarum orbis Nationis aut certis ditionibus ecclesiasticis (cfr. M.P. *Sollicitudo* I, 1).

§ 2. Personam Sanctae Sedis item gerunt membra illa Pontificiae Legationis quae, sive desit sive ad tempus absit Legationis praepositus, eiusdem vices supplent tum erga Ecclesias in ditione ecclesiastica sitas, tum erga Societatis politicae gubernium, appellanturque 'Curam Agentes ad negotia ad interim' (cfr. M.P. *Sollicitudo*, II, 2) ».

Canon approbatur, sed, proponente Exc.mo septimo Consultore, expunguntur in § 1 verba « plerumque Episcopali Ordine insignes », ne libertas Romani Pontificis limitari videatur. Praeterea placet ut, ad complen-

dum textum dicatur: «in variis orbis terrarum Nationibus *societatibusque politicis* aut certis... ».

Can. 3

Hic est textus propositus:

« Personam gerunt Sanctae Sedis ii quoque ecclesiastici et laici, qui, ut praepositi vel membra, in Pontificiam Missionem cooptantur apud Consilia Internationalia, aut apud Conferentias et Congressus; qui vocantur Delegati aut Observatores, prout Sancta Sedes inter membra Consiliorum Internationalium recensetur aut non, et partem habet in aliqua Conferentia cum aut sine iure suffragii; iisdem non applicantur praescripta canonum qui sub hoc titulo habentur (cfr. M.P. *Sollicitudo*, I, 1) ».

Exc.mus Secretarius quaestionem ponit generalem, cur scilicet vox «ecclesiastici» adhibeatur exclusive ad clericos designandos, cum etiam laici sint Ecclesiae membra.

Respondet Exc.mus septimus Consultor se plene concordare sub aspectu iuridico cum hac animadversione, sed in hoc casu se praeoptare ut adhibeatur vox «ecclesiastici»: haec vox melius respondet praxi Secretariae Status ac praeterea minus congruit ut Legati, qui saepe sunt Archiepiscopi, vocentur clerici.

Cum his dictis non concordant Rev.mus quartus et alii Consultores, quia omnes baptizati qui in communione plena inveniuntur cum Ecclesia Catholica sunt «christifideles», sive clerici sive laici, sed adhuc hodie multi adsunt qui «christifideles» cum «laicis» identificant. Plerisque tamen placet ut textus servetur uti iacet.

Exc.mus nonus Consultor aliam exponit generalem animadversionem: agatur imprimis de Legatorum missione ecclesiastica, deinde vero de eorum missione apud civilia gubernia.

Respondet tamen Exc.mus septimus Consultor rectam et iustam esse hanc animadversionem; haec enim fuit mens et ratio M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*; attamen expedit ut nunc roboretur ius legationis Sanctae Sedis, sive activum sive passivum, apud societates civiles, quia hoc ius hodie in dubium ponitur a nonnullis. His dictis accedunt Consultores.

Animadvertit denique Rev.mus quartus Consultor, cui accedit Exc.mus septimus Consultor, non omnia membra Missionis Pontificiae personam gerere Sanctae Sedis, sed solummodo praepositos. Placet ergo ut in canone dicatur: «... et laici, qui, *sive ut singuli sive ut praepositi alicuius delegationis*, in Pontificiam Missionem *deputantur* apud... ».

Can. 4

Hic est textus propositus:

« Qui modo stabili legatione funguntur apud Ecclesias in certa ditione ecclesiastica sitas tantum, vocantur Delegati Apostolici; qui leagationem modo stabili exercent insimul apud Societates politicas civiliaque gubernia, nuncupantur Nuntii vel Pro Nuntii, prouti ad ordinem pertinent Publicorum Legatorum cum iure partes agendi Decani in Legatorum coetu, aut hoc iure carent (cfr. M.P. *Sollicitudo*, I, 2) ».

Postulante Exc.mo nono Consultore, placet ut dicatur: « ... in certa *Natione vel ditione*... ».

Exc.mus septimus Consultor suggerit, et placet animadversio, ut expungantur verba « prouti ad ordinem pertinent Publicorum Legatorum », quia non sunt necessaria.

Textus ergo ita manet: « ... prouti iure *gaudent* partes agendi Decani in *Publicorum* Legatorum coetu, aut hoc iure carent ».

Can. 5

Textus propositus sic sonat:

§ 1. Firmis praescriptis cann. 6 et 7, Nuntii et Pro Nuntii munus est:

1° promovere et fovere necessitudines Apostolicam Sedem inter et Gubernium Nationis apud quam legationem suam exercet;

2° quaestiones pertractare quae ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam pertinent;

3° tractare de concordatis, de stipulationibus quae 'modus vivendi' appellantur aliisque conventionibus quae negotia respiciunt ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam spectantia, quorum in Ecclesia ordinatio ad ius universale pertinet (cfr. M.P. *Sollicitudo*, X, 1).

§ 2. In negotiis de quibus in § 1 expediendis, prout rerum adiuncta id suadeant, Legatus Pontificius sententiam et consilium Episcoporum Nationis aut ditionis ecclesiasticae exquirat, eosque de negotiorum cursu certiores faciat (cfr. M.P. *Sollicitudo*, X, 2).

Quoad § 1, 3°, Exc.mus Secretarius animadvertit verba « ius universale » non esse clara. Suggestit Rev.mus Secretarius ut dicatur: « quorum in Ecclesia ordinatio *ad unam supremam auctoritatem* pertinent ».

Mavult tamen Rev.mus primus Consultor ut, in hac propositione, expungatur verbum « unam », quia quandoque expedire potest ut Sancta Sedes negotiationes agat cum Statu etiam circa quaestiones pertinentes ad Ecclesias particulares, nam ita res facilius progredientur; immo vero, forsi-

tan expedit ut expungantur verba «quorum in Ecclesia ordinatio ad ius universale pertinet», neque addantur suggesta verba, quia hodie hoc ius Sanctae Sedis ab aliquibus negatur.

Cum his dictis concordat Exc.mus septimus Consultor, etiam quia habetur periculum interpretationis restrictivae horum verborum, ita ut Conferentiis Episcopalibus competentiae tribuantur quas vere non habent. Praeterea, etiamsi memorata verba expungantur, nullo modo excluditur ut certis in casibus Sancta Sedes delegationem faciat ad Ecclesias particulares pro quibusdam determinatis materiis ut ipsae directe agant.

Fit adhuc parva discussio de hac re, et approbatur sequens redactio: «3° in specie tractare de concordatis... quae negotia respiciunt ad relationes spectantia Ecclesiam inter et societatem politicam apud quam legationem suam exercent».

Placet quoque ut numeri 2 et 3 in unum componantur, hoc modo: «...pertinent; et *peculiari modo tractare* de concordatis...»

Attentis iis quae ab Exc.mo nono aliisque Consultoribus exposita sunt circa ordinem dicendorum in can. 3, Rev.mus primus Consultor in scriptis proponit ut can. 5 ponatur post can. 7, nempe post ea quae sunt communia omnibus Legatis Pontificiis. Aliter enim missio Nuntii et Pro Nuntii describeretur attenta praesertim Legatione ad societates politicas. E contra servanda videtur mens M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* in cuius proemio dicitur: «Officium Pontificii Legati adiumento in primis est Episcopis, religiosis et universis christifidelibus». Immo in eodem M.P. expresse statuitur: «Praecipuum et proprium munus Pontificii Legati est ut firmiora atque efficaciora in dies reddat unitatis vincula, quae inter Apostolicam Sedem et Ecclesias locales intercedunt» (n. IV, 1). Postulat quoque Rev.mus quintus Consultor ut in can. 5 (qui fiet can. 7 iuxta suam propositionem) § 1 ita compleatur: «Nuntii et Pro Nuntii *praeterea* munus est...».

Huic animadversioni accedunt Exc.mi tertius et secundus, Rev.mus quartus et alii Consultores.

Exc.mus septimus Consultor respondet ordinem propositum congruum quidem esse sub respectu pastoralis, sed magis expedire ut, sub respectu iuridico, ponantur in primo loco functiones Legatorum Pontificiorum apud societates politicas.

Animadvertit tamen Exc.mus Secretarius quia etiam in documento iuridico, quale est M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, ordo adhibetur propositus in animadversionibus Rev.mi primi Consultoris.

Adiungit Exc.mus nonus Consultor mirum fore, si Coetus noster mutet ordinem statutum in M.P.; praeterea, in America Latina civilia gubernia bene intelligunt quod Legati Pontificii, cum sint viri ecclesiastici, curent

prae ceteris de relationibus cum Ecclesiis particularibus, ita manifestantes sollicitudinem omnium Ecclesiarum; neque praetermittenda est impressio non bona quam recipient clerici et laici, si videant Nuntium praecipuum locum obtinere qua Legatum apud gubernium, secundarium vero in iis quae ad seipsos spectant: opinio ecclesialis suum habet momentum, quod parvi pendere non debemus.

Censet Rev.mus quintus Consultor Nuntium praeprimis mitti ad Nationem, deinde vero ad Ecclesias particulares: ideo adspectus pastoralis suum quoque habet momentum in relationibus cum societatibus politicis.

Adiungit Rev.mus Secretarius Ad. Sanctam Sedem Delegatos Apostolicos tunc tantum mittere, cum relationes cum guberniis habere nequit.

Rev.mus quartus Consultor concordat cum animadversione Rev.mi primi Consultoris, quia et concordat cum M.P., et suggerit ordinem systematice magis congruum, ut agatur nempe imprimis de iis quae omnibus Legatis Pontificiis sunt communia, deinde vero de iis quae ad solos Nuntios vel Pro Nuntios pertinent.

His dictis adiungit Exc.mus Secretarius competentiam plus minusve amplam Nuntiorum apud civilem auctoritatem iam determinari in Litteris nominationis, attentis loci adiunctis; prae oculis etiam habenda est — sequitur Exc.mus — evolutio figurae Nuntii post Concilium Vaticanum II, cui maius momentum tribuitur in iis quae ad Ecclesias particulares spectant: nonnulli enim dicunt Nuntium non esse nisi virum diplomaticum, ad quod laicus sufficit; e contra, Sancta Sedes adhibet ecclesiasticos viros, quia non sunt diplomatici sicut ceteri, sed Legati apud Episcopos.

Exc.mus nonus Consultor necessarium esse existimat, ad defendendam Nuntii figuram apud Statum, ut imprimis extollatur eius munus praecipuum et proprium, ad mentem et litteram M.P. «Sollicitudo omnium Ecclesiarum», quia aliter non deerit qui dicat: Nuntius ne se immisceat in res Ecclesiarum particularium, quia ipse est Legatus apud Gubernium.

Exc.mus septimus dicit se bene intelligere allata argumenta, sed simul censet sequentia prae oculis habenda esse: *a)* hactenus Nuntii considerati erant uti viri politici, propter Ecclesiae temporalem potestatem, sed nunc res mutatae sunt; *b)* hodie Nuntiorum labor totus consistit in promovendis iis quae indicantur in Const. Past. *Gaudium et spes*, in profugis iuvandis, etc.: ergo missio Nuntii apud gubernia nunc est alterius ordinis — non consistit nempe in deferenda visione politica Status Vaticani —, est enim actio pastoralis universalis seu actio plene ecclesiastica. Ideo magis congruit ut duo memorati adspectus, missio scilicet apud gubernia et apud Ecclesias particulares, non separentur sed coniungantur, sicut inter se non opponuntur Const. dogm. *Lumen gentium* et Const. past. *Gaudium et spes*. Difficile

est statuere quae functio gaudeat prioritatem, quia utraque est pastoralis et invicem completur: Ecclesia universalis in servitium Ecclesiarum particularium atque in servitium totius humanitatis. Forsitan expedit ut vitetur distinctio inter munus primum et aliud munus; magis res perpendenda est, ut pervenire possimus ad synthesim.

Exc.mus Secretarius se referens ad tres canones — cc. nempe 5, 6 et 7 — ubi de functionibus Legatorum agitur, duas proponit solutiones: a) vitetur verbum «*praecipuum* munus» ad comparationes vitandas, sed adhibeatur ordo propositus a Rev.mo primo Consultore b) redigatur canon generalis de Legatis, et postea eorum functiones specificentur in tribus canonibus, quod quidem difficilius esse videtur.

Suggestit ergo ut ordo sit: a) can. 6 et 7, qui sunt generales; b) can. 5, e quo expungenda sunt verba «*firmis praescriptis cann. 5 et 6*».

Accedit Exc.mus septimus Consultor.

Iuxta Rev.mum quartum Consultorem ordo esse debet: a) can. 6; b) can. 6; c) can. 7 et ss.

Sequitur adhuc parva discussio, et tandem fit sequens suffragatio:

A) Utrum servandus sit necne ordo in schemate propositus.

Placet 5.

B) An ordo esse debeat: can. 6, can. 7, can. 5 — Placet 3. Se abstinere a suffragatione 1.

Ergo servatur ordo in schemate propositus.

Can. 6

Hic est textus:

«Ad munus ordinarium tum Delegati Apostolici tum Nuntii vel Pro Nuntii pertinet:

1° operam dare ut firmiora efficacioraque in dies reddantur unitatis vincula, quae inter Apostolicam Sedem et Ecclesias in Natione aut ditione ecclesiastica sitas intercedunt;

2° in territorio sibi assignato rite cognoscere conditiones in quibus versantur Ecclesiae ad quas missus est easque, sollicitudinis Summi Pontificis interpres, consociata Episcoporum opera, promovere (cfr. M.P. *Sollicitudo*, IV, 1 et V, 1);

3° explere mandata atque exercere facultates quae ipsi ab Apostolica Sede committuntur».

Iuxta petitionem Exc.mi noni Consultoris, placet ut in n. 2° expungantur verba «in territorio sibi assignato».

Can. 7

Sic sonat textus:

« Pontificii Legati, stabili modo constituti, quoque est:

1° operam conferre ut promoveantur res ad pacem, ad progressum et ad consociatam populorum operam spectantes;

2° contendere ut, consociata cum Episcopis regionis actione, ea tueatur quae ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis pertinent missionem, ideoque et ut fructuosae cum civilibus moderatoribus necessitudines foveantur;

3° iuxta mandata et instructiones sibi data, atque collatis consiliis cum Patriarchis Episcopisque locorum, opportuna fovere commercia inter Ecclesiam Catholicam et alias christianas communitates, immo et religiones non christianas (cfr. M.P. *Sollicitudo*, IV, 2,3,4) ».

Exc.mus nonus Consultor postulat ut: *a)* quae habentur in n. 3 ponantur in n. 1, ubi etiam addatur: « exercere facultates et explere mandata »; *b)* modifictur expressio « consociata Episcoporum opera », quae sonat ac si responsabilitas recidat praeprimis in Nuntium. Placet ergo ut dicatur: « Episcoporum opera sustinere et fovere ».

Quoad n. 3, notat Exc.mus septimus Consultor in M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* statui ut Nuntius audiat Patriarcham in regionibus Orientalibus, in textu autem canonis haec obligatio imponitur pro universis locis.

Respondet Rev.mus quintus Consultor verum esse iuxta ius scriptum, sed forsitan expedire ut ubique fiat.

Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut adhibeatur expressio quae habetur in M.P. nempe: « ... collatis consiliis cum Episcopis locorum in quibus munere suo fungitur, in regionibus quidem orientalibus praesertim cum Patriarchis ».

Denique notat Rev.mus quartus Consultor multas repetitiones haberi in his canonibus, quapropter omnibus placet ut, attentis omnibus quae dicta sunt, nova redactio fiat canonum 6, 7 et 8.

Can. 6 (prius cann. 6, 7 et 8)

Haec est redactio quae a Rev.mo Secretario Ad. proponitur:

« Ad munus ordinarium tum Nuntii vel Pro Nuntii tum Delegati Apostolici pertinet:

1) operam dare ut tueatur quae ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis pertinent missionem utque firmiora efficacioraque in dies reddantur unitatis

vincula, quae eandem Apostolicam Sedem inter et Ecclesias in Natione aut ditione ecclesiastica sitas intercedunt;

2) crebras fovere relationes cum Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae, eidem omnimodam operam praebens;

3) cognoscere conditiones in quibus versantur Ecclesiae ad quas missus est atque, sollicitudinis Summi Pontificis interpres, integram quidem relinquens Episcoporum dioecesanorum potestatis regiminis exercitium, eorundem Episcoporum in bonum earum Ecclesiarum operam sustentare et fovere;

4) operam conferre ut promoveantur res quae ad pacem, ad progressum et consociatam populorum operam spectant;

5) iuxta mandata et instructiones sibi data, atque collatis consiliis cum Episcopis locorum, in quibus munere suo fungitur, in regionibus quidem orientalibus praesertim cum Patriarchis, opportuna fovere commercia Ecclesiam Catholicam inter et alias christianas communitates, immo et regiones non christianas;

6) exercere facultates et explere mandata quae ipsi ab Apostolica Sede committuntur».

Quae in nn. 2 et 3 dicuntur etiam in unum numerum contrahi possunt, hoc modo: «cognoscere conditiones in quibus versantur Ecclesiae ad quas missus est, atque, sollicitudinis Summi Pontificis interpres, integram quidem relinquens Episcoporum dioecesanorum potestatis regiminis exercitium, eorundem Episcoporum sicut et Episcoporum Conferentiae in earundem Ecclesiarum bonum operam sustentare et fovere.

Exc.mus Secundus Consultor mavult ut nn. 2 et 3 in unum confluant.

Exc.mus septimus Consultor praeoptat textum priorem inter duos apparatus relate ad nn. 2 et 3, quia servanda sunt verba «crebras fovere relationes cum Episcoporum Conferentia», quae utilia esse videntur.

Animadvertit Exc.mus secundus Consultor cui et alii accedunt, has relationes de facto haberi inter Nuntium et Secretarium Generalem Conferentiae, saltem in cotidianis adiunctis, ex quo periculum oritur ne Secretarius Generalis Conferentiae appareat ut Episcoporum vox in his relationibus privilegiatis; difficile est praeterea ut haec materia apte delimitetur in statutis Conferentiae.

Notant Exc.mi nonus et octavus Consultores quod, sub respectu theologico, priorem locum habere debere relationes cum Episcopis, quia ipsi positi sunt ad Ecclesias regendas; de facto tamen hae relationes habentur cum Conferentiae Praesidentia vel Secretaria.

Postulantibus Rev.mis primo et quarto Consultoribus, placet omnibus

ut mutetur ordo, ita ut n. 3 fiat n. 2, idque etiam ratione practica, quia primum est cognoscere conditiones singularum dioecesium, et ita poterit deinde melius conferre cum Praesidentia vel cum aliis organis Conferentiae Episcopalis.

Placet textus cum proposita ordinis emendatione.

Can. 5 (prius can. 9)

« Ut propria indoles legationis clarius manifestetur utque Legatus officium suum aptius perficere valeat:

1° sedes Legationis Pontificiae a potestate regiminis Ordinarii loci exempta est (cfr. *M.P. Sollicitudo*, XII, 1);

2° Legatus Pontificius in Oratorio suae sedis potest facultates proprias exercere, ibique actus divini cultus et sacras caeremonias peragere, semper tamen congruenter cum normis in territorio vigentibus et, ubi expediat, certiore facta auctoritate ecclesiastica cuius intersit.

3° Legato Pontificio fas est, praemonitis, quantum fieri possit, locorum Ordinariis, in omnibus ecclesiis intra fines suae legationis populo benedicere et officia divina, etiam in pontificalibus, peragere (cfr. *M.P. Sollicitudo*, XII, 2 et 3) ».

Exc.mo Secretario placent numeri, quibus canon constat, sed minus placet expressio introductoria, nempe: « Ut propria indoles legationis clarius manifestetur ».

Exc.mus tertius Consultor suggerit ut ordo mutetur et dicatur: « Ut Legatus officium suum aptius perficere valeat utque propria indoles legationis clarius appareat ».

Magis placet propositio facta ab Exc.mo secundo Consultore et Rev.mo sexto Consultore, nempe: « Ut Legatus officium suum aptius perficere valeat atque attenta peculiari sui muneris indole ».

Nulla alia animadversio fit, ergo canon approbatur cum hac sola emendatione.

Can. 8 (prius can. 10)

Hic est textus propositus qui placet omnibus sicuti est:

« Pontificii Legati munus non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris pontificiis statuatur; cessat autem expleto mandato, revocatione eidem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata (cfr. *M.P. Sollicitudo*, III, 3) ».

* * *

Cum tempus non suppetat ad ultimam revisionem faciendam circa canones de paroeciis et de parochis, de vicariis paroecialibus, de decanis atque de ecclesiarum rectoribus, hoc examen ad proximam sessionem studii remittitur. Quare, precibus de more dictis, haec XVIa sessio Coetus Consultorum « De Sacra Hierarchia » conclusa declaratur.

Romae, die 19 decembris 1975.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum I

CANONES IN HAC XVI^a SESSIONE ADPROBATI DE CONSIGLIO PRESBYTERALI ET DE COLLEGIO CONSULTORUM

Can. 1

§ 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, presbyterium repraesentans, cuius est Episcopus in regimine universae dioecesis consiliis adiuvari, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilium presbyterale constat solis sacerdotibus eique praeest Episcopus dioecesanus.

Can. 2

Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo dioecesano probata, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis.

Can. 3

Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° congrua eorum pars libere eligatur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;

2° aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse debent membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent;

3° Episcopo dioecesano integrum est aliquos libere nominare.

Can. 4

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1° omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul aut in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent, aut in bonum dioecesis officium aliquod adimplent;

2° sacerdotes saeculares in dioecesi non incardinati, necnon sacerdotes sodales alicuius Instituti vitae consecratae, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent et ibidem officium aliquod in bonum dioecesis exercent.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent, aut officium aliquod in bonum dioecesis exercent.

Can. 5

Modus eligendi membra Consilii presbyteralis a statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita maxime diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum.

Can. 6

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo tantum: audiendum vero est in causis quae iure universali expresse determinantur aut quae, iudicio ipsius Episcopi dioecesani, regimen generale dioecesis respiciunt; unius autem Episcopi dioecesani est causas dirimere et decisiones ferre.

§ 2. In causis tamen, in quibus Consilio presbyterali votum deliberativum concesserit sive ius universale sive, in casibus exceptionalibus ab Episcoporum Conferentia definitis, ipse Episcopus dioecesanus, idem Episcopus ut decisiones ferat consensu eget eiusdem Consilii.

§ 3. Consilium presbyterale nusquam agere valet sine Episcopo dioecesano, cuius etiam solius cura divulgari possunt quae ad normam §§ 1 aut 2 statuta sunt.

Can. 7

§ 1. Consilium presbyterale constituatur ad tempus, in statutis determinandum, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale cessat eiusque munera implentur a Collegio consultorum de quo in can. 8; intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere.

§ 3. Si Consilium presbyterale munus sibi in bonum dioecesis commissum non amplius adimpleat aut eodem graviter abutatur, Episcopus dioecesanus, audito quidem Collegio Consultorum de quo in can. 8, illud dissolvere potest, sed intra annum debet illud noviter constituere.

Can. 8

§ 1. Inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano libere nominantur aliqui sacerdotes, numero non minori quam sex non maiori quam duodecim, qui Collegium consultorum ad quinquennium constituent, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Collegio consultorum praeest Episcopus dioecesanus; sede autem impedita aut vacante, is qui ad interim Episcopi locum tenet aut, si constitutus nondum fuerit, in Collegio consultorum sacerdos ordinatione antiquior.

DE CANONICORUM CAPITULIS

Can. 1

Capitulum canonicorum, sive cathedrale sive collegiale, est sacerdotum collegium, cuius est functiones liturgicas sollemniores in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere; Capituli cathedralis praeterea est munera adimplere, quae ipso iure aut ab Episcopo dioecesano committuntur.

Can. 2 (CIC 391-392)

§ 1. Capitulum canonicorum cathedrale ubi exstet servetur, et erigatur in dioecesibus in quibus id expediat.

§ 2. Capituli tum cathedralis, tum collegialis, erectio, innovatio aut suppressio pertinet ad Episcopum dioecesanum, attentis normis ab Episcoporum Conferentia regionis legitime statutis.

Can. 3 (CIC 393-414)

Unumquodque Capitulum, sive cathedrale sive collegiale, sua habeat statuta, per legitimum actum capitularem condita atque ab Episcopo dioecetano probata; quae statuta ne mutantur aut abrogentur, nisi approbante eodem Episcopo dioecetano.

Can. 4

§ 1. Statutorum Capituli, salvis semper foundationis legibus, est ipsam Capituli constitutionem et numerum canonicorum determinare; definire quatenam a Capitulo et a singulis canonicis ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum sint peragenda; ordinare conventus in quibus Capituli negotia aguntur atque, salvis quidem iuris communis praescriptis, condiciones statuere ad validitatem liceitatemque negotiorum requisitas.

§ 2. In statutis etiam definiantur quatenam sint canonicorum insignia atque emolumenta, tum stabilia tum occasione perfuncti muneris solvenda.

Can. 5

§ 1. Inter canonicos habeatur qui Capitulo praesit, atque alia etiam constituentur officia ad normam statutorum, ratione quoque habita traditionis in regione vigentis.

§ 2. Clericis qui non sunt canonici, qui quidem ad Capitulum non pertinent, committi possunt alia officia, quibus, ad normam statutorum, canonicis auxilium praebent.

Can. 6 (CIC 401 § 1)

Paenitentarius canonicum tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure facultatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi a peccatis necnon a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecetanos extra territorium quoque dioecesis.

(Redactio definitiva huius canonis pendet a textu definitivo schematis de iure poenali).

Can. 7

§ 1. Episcopi dioecetani, audito Capitulo, non autem Administratores dioecetani nec Vicarii generalis aut episcopalis, est omnes et singulos conferre canonicatus, tum in ecclesia cathedrali tum in ecclesia collegiali, revo-

cato quolibet contrario privilegio; eiusdem Episcopi est confirmare electum ab ipso Capitulo, qui eidem praesit.

§ 2. Canonicatus Episcopus dioecesanus conferat tantum sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus, qui laudabiliter ministerium pastorale exercuerunt.

Can. 8 (CIC 415)

§ 1. Capitulo canonicorum ne amplius uniantur paroeciae; quae unitae alicui Capitulo exstent, ab Episcopo dioecesano a Capitulo separentur.

§ 2. In ecclesia, quae simul sit paroecialis et capitularis, instituatur parochus, sive inter capitulares delectus, sive non; qui parochus omnibus obstringitur officiis, atque gaudet iuribus et facultatibus quae ad normam iuris propria sunt parochi (*Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21 § 2).

§ 3. Episcopi dioecesani est certas statuere normas, quibus officia pastoralia parochi atque munera Capitulo propria debite componantur, quibusque prospiciatur ne parochus capitularibus nec Capitulum paroecialibus functionibus impedimento sit; conflictus, si quidam habeantur, dirimat Episcopus dioecesanus, qui imprimis curet ut fidelium necessitatibus pastoralibus debite prospiciatur.

§ 4. Quae ecclesiae, insimul paroeciali et capitulari, conferantur elemosynae, praesumuntur datae paroeciae, nisi aliud constet.

Can. 9

§ 1. Episcoporum Conferentiae regionis est iudicare de opportunitate instituendi in dioecesibus territorii canonicos ad honorem; qui, si haberi possint, Episcopi dioecesani, non autem Administratoris Apostolici aut dioecesani nec Vicarii generalis aut episcopalis est, audito quidem Capitulo, eosdem, sive dioecesanos sive extra-dioecesanos, nominare, numero autem tantum in statutis Capituli definito.

§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem ut nomet Episcopus dioecesanus, praeterquam ipsius Capituli, assensu eget Episcopi, cuius nominandus est subditus; quo assensu deficiente, nominatio est irrita.

DE CONSILIO PASTORALI

Can. 1

In singulis dioecesibus, quatenus pastoralis sollicitudo id suadeat, constituatur Consilium pastorale cuius est sub auctoritate Episcopi ea omnia

quae opera pastoralia spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

Can. 2

§ 1. Consilium pastorale constat christifidelibus qui in plena communione sint cum Ecclesia Catholica, tum clericis, tum membris Institutorum vitae consecratae, tum laicis, quique designantur modo ab Episcopo dioecesano determinato.

§ 2. Maior pars membrorum sint christifideles laici.

§ 3. Christifideles qui deputantur ad Consilium pastorale ita seligantur ut universa populi Dei portio quae dioecesim constituat revera configuretur, ratione habita diversarum dioecesis regionum, condicionum socialium et professionum, necnon partis quam sive singuli sive cum aliis coniuncti in apostolatu habent.

§ 4. Ad Consilium pastorale ne deputentur nisi christifideles certa fide, bonis moribus et prudentia praestantes.

Can. 3

§ 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus, iuxta praescripta statutorum, quae ab Episcopo dantur attentis principiis ab Episcoporum Conferentia admissis.

§ 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur.

Can. 4

§ 1. Consilium pastorale, quod voto gaudet tantum consultivo, iuxta necessitates apostolatus convocare eique praeesse ad solum Episcopum dioecesanum pertinet.

§ 2. Saltem semel in anno convocetur.

DE ROMANI PONTIFICIS LEGATIS

Can. 1

Romano Pontifici ius est nativum et independens ad societates politicas civiliaque gubernia atque ad Ecclesias in certa Natione aut ditione ecclesiastica sitas Legatos suos mittendi, sicut et eos nominandi, transferendi et revocandi, servatis quidem normis iuris internationalis, quod attinet ad

missionem et revocationem Legatorum de quibus supra apud societates politicas constitutorum (cfr. M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, III, 1).

Can. 2 (novus)

§ 1. Nomine Legatorum Romani Pontificis, in canonibus qui sequuntur, appellantur viri ecclesiastici quibus Romanus Pontifex officium committit suam stabili modo gerendi personam, in variis terrarum orbis Nationibus societatibusque politicis aut certis ditionibus ecclesiasticis (cfr. M.P. *Sollicitudo* I, 1).

§ 2. Personam Sanctae Sedis item gerunt membra illa Pontificiae Legationis quae, sive desit sive ad tempus absit Legationis praepositus, eiusdem vices supplent tum erga Ecclesias in ditione ecclesiastica sitas, tum erga Societatis politicae gubernium, appellanturque «Curam Agentes ad negotia ad interim» (cfr. M.P. *Sollicitudo*, II, 2).

Can. 3 (novus)

Personam gerunt Sanctae Sedis ii quoque ecclesiastici et laici, qui, sive ut singuli sive ut praepositi alicuius Delegationis, in Pontificiam Missionem deputantur apud Consilia Internationalia, aut apud Conferentias et Congressus; qui vocantur Delegati aut Observatores, prout Sancta Sedes inter membra Consiliorum Internationalium recensetur aut non, et partem habet in aliqua Conferentia cum aut sine iure suffragii; iisdem non applicantur praescripta canonum qui sub hoc titulo habentur (cfr. M.P. *Sollicitudo*, I, 1).

Can. 4 (CIC 267)

Qui modo stabili legatione funguntur apud Ecclesias in certa Natione aut ditione ecclesiastica sitas tantum, vocantur Delegati Apostolici; qui legationem modo stabili exercent insimul apud Societates politicas civiliaque gubernia, nuncupantur Nuntii vel Pro Nuntii, prouti iure gaudent partes agendi Decani in Publicorum Legatorum coetu aut hoc iure carent (cfr. M.P. *Sollicitudo*, I, 2).

Can. 5 (CIC 267, § 1, 1º)

§ 1. Firmo praescripto can. 6, Nuntii et Pro Nuntii in Natione societateve politica apud quam legationem suam exercet munus est:

1º promovere et fovere necessitudines Apostolicam Sedem inter et Gubernium eiusdem Nationis societatisve politicae;

2° quaestiones pertractare quae ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam pertinent; et peculiari modo tractare de concordatis, de stipulationibus quae 'modus vivendi' appellantur aliisque huiusmodi conventionibus quae negotia respiciunt ad relationes Ecclesiam inter et societatem politicam spectantia (cfr. M.P. *Sollicitudo*, X, 1).

§ 2. In negotiis de quibus in § 1 expediendis, prout rerum adiuncta id suadeant, Legatus Pontificius sententiam et consilium Episcoporum Nationis aut ditionis ecclesiasticae exquirat, eosque de negotiorum cursu certiores faciat (cfr. M.P. X, 2).

Can. 6 (CIC 267, § 1, 2° et § 2, 269, § 1)

Ad munus ordinarium tum Nuntii vel Pro Nuntii tum Delegati Apostolici pertinet:

1° operam dare ut tueatur quae ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis pertinent missionem utque firmiora efficacioraque in dies reddantur unitatis vincula, quae eandem Apostolicam Sedem inter et Ecclesias in Natione aut ditione ecclesiastica sitas intercedunt;

2° cognoscere condiciones in quibus versantur Ecclesiae ad quas missus est atque, sollicitudinis Summi Pontificis interpres, integram quidem relinquens Episcoporum dioecesanorum potestatis regiminis exercitium, eorundem Episcoporum in bonum earum Ecclesiarum operam sustentare et fovere;

3° crebras fovere relationes cum Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae, eidem omnimodam operam praebens;

4° operam conferre ut promoveantur res quae ad pacem, ad progressum et consociatam populorum operam spectant;

5° iuxta mandata et instructiones sibi data, atque collatis consiliis cum Episcopis locorum, in quibus munere suo fungitur, in regionibus quidem orientalibus praesertim cum Patriarchis, opportuna fovere commercia Ecclesiam Catholicam inter et alias christianas communitates, immo et religiones non christianas;

6° exercere facultates et explere mandata quae ipsi ab Apostolica Sede committuntur.

Can. 7 (novus)

Ut Legatus officium suum aptius perficere valeat atque attenta peculiari sui muneris indole:

1° Sedes Legationis Pontificiae a potestate regiminis Ordinarii loci exempta est;

2° Legatus Pontificius in Oratorio suae Sedis potest facultates proprias exercere ibique actus divini cultus et sacras caeremonias peragere, semper tamen congruenter cum normis in territorio vigentibus et, ubi expediat, certiore facta auctoritate ecclesiastica cuius intersit;

3° Legato Pontificio fas est, praemonitis, quantum fieri possit, locorum Ordinariis, in omnibus ecclesiis intra fines suae legationis populo benedicere et officia divina, etiam in pontificalibus, peragere (cfr. M.P. *Sollicitudo* X 1, 2 et 3).

Can. 8 (CIC 268)

Pontificii Legati munus non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in Litteris pontificiis statuatur; cessat autem expleto mandato, revocatione eidem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata (cfr. M.P. *Sollicitudo*, III, 3).

